

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
0543

0541

0547

0537

0552

0532

0592

0492

0642

0442

1042

0042

Ende

Anfang

528

ad locum, post moram volui redire ad socios et monticulum
oppositum ascendi, putans, stationem nostram in eo consi-
stere, eos non inveni, ad alium de hinc cucurri monticulum,
sed minime eos reperi. Steti ergo anxius et in noctem ipsam
impegi, dicens: o nox nociva, a nocendo bene nominata, tu
vere es terrae sine certo patre filia, solum ex oppositione
terrae causata et conjux terribilis Erebi, Phaneteque pastoris
utilissimi inimica et per consequens juxta (**b**) vulgare ver-
bum nulli amica, nisi nocere volentibus, nam qui male agit,
odit lucem, ad teque solis inimicam confugit, unde, ut jugu-
lent homines, surgunt de nocte latrones. Nam obsequio male-
fico, quod nox Jovi praestitit volenti ad Alcmenam foeminam
cupitam accedere, commeruit quadrigam, in qua terram per-
petuo circuitu ambit et robur domandi deos accepit, quia ea
praesente magnanimos, qui ingentia pectore versant, domat
et opprimit et in lucem usque coeret. Cumque noctis incre-
pationem finivisset, in me ipsum fremui, quod infidelissimae
nocti me credidi, cum ambulantibus et navigantibus insidio-
sissima sit. Confugi ergo ad proprium opus angustiatae ani-
mae et anxii spiritus, quod est clamare, sicut dicitur Baruch 3.:
Anima in angustiis et spiritus anxius clamat, et extuli vocem
ad militem strenuorem, nobiliorem et fideliores mibique magis
familiarem, eumque tantum cognomine invocavi dicens:
Schomberg; qui mox me auditio surrexit et a longe positus
cum aliis reclamavit ingeminans: Felix, Felix! Secutus ergo
respondentis vocem usque in tertium monticulum; nec tamen
eos inveni. Iterum ergo clamavi sic: ho, ho, et: vos ubi in-
veniam? Colloquimini precor, quousque perveniam ad vos,
quia tenebrae et silentium me deducunt. Sic ergo colloque-
bamur, quousque ad eos veni, qui dure increpabant me pro
incerta et insecura evagatione, eram enim multo remotior
factus ab eis, quam aestimaveram. Cumque ad illos venis-
sem, ii, qui quieverant, resederunt. Jam autem noctis me-
dium transierat et tempus aderat, quo camelarii bestias onerare
incipere solebant, sedimus ergo et cum magno silentio audi-
tum praebuimus, desiderantes rugitum camelorum audire. Dum
autem aliquamdiu sic sedissemus, ecce camelorum vox optata
insonare coepit et rugitus eorum extolli. Quo audito, quantum

